

B. M. Hüq.

n. 27 177.

X 1850365

II R
5094

DISPUTATIO POLITICA
De
F O E D E R I B V S .

Q V A M

Adjuvante summi Numinis gratiâ
in illustri Academia Julia

P R A E S I D E

Amplissimo Clarissimoque Viro

HERMANNO CONRINGIO,
Philosoph. & Med. Doctore, hujusque &
Politices in florentissimâ Juliâ P. P. longe celeberrimo &c. Patrono, Fautore, ac promotore suo
perpetim colendo

publico examini subjicit

ENGELBERTVS CORBMACHER.

Hervordiâ Westphalus

Ad diem V Novembr.



HELMESTADI

Typis HENNINGI MULLERI Acad. Typ.

Anno clc lxxix.

10

V. S. B.



BIBLIOTHECA
POMICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)



DISPUTATIO POLITICA
DE
FOEDERIBUS
THESIS. I.



Um proprietatem rei ostendat
verbi etymologia, multumque momenti
in purâ ac simplici verborum explicatione
positum sit, turpe insuper differenti pro-
prios terminos ignorare, & prius determi-
nare rem ipsam, quam terminos percipere
oporteat ne in æqui voca dilabamur, sed significata rectè
distinguamus, unde foedus dicatur paucis indagabimus. Et
quidem nonnulli nomen hoc manasse putant à fide, quod
illa interponitur in foedere. unde & Feciales dicti Sacer-
dotes per quos fiebant foedera. Alij deducunt ab adver-
bio foedè & coedendo, quia apud Romanos ad foedera fa-
cienda utrinque Feciales adhibebantur, qui firmato foede-
re porcum coedebant siliice, ejusmodi exitium imprecan-
tes capiti illius qui prior foedus violasset. *Liv. Lib. 1.* Hic ta-
men modus pangendi foedus non fuit unus idemque sem-
per, sive varios populos alios sive ipsum unum Romanum
spectemus; alibi sane alium ritum fuisse adhibitum con-
stat. Nimirum apud Romanos simulatque de foedere in-
ter partes convenerat, Fecialis sumpto in manibus lapide,
dicebat: *Si sine dolo malo hoc foedus facio. Dij mihi curæta feli-*

cia præstent, sin aliter aut ago aut cogito, cæteris salvus solus ego
 peream, ut hic lapis de manibus meis decidet: & mox lapidem
 dejiciebat. Scytæ vero hoc modo sanciebant: in fuso in
 grandem calicem vino, commiscebant eorum sanguinem
 qui ferirent fœdus, percutientes cultello, aut incidentes
 gladio aliquantulum corporis, deinde in calice tingebant
 sagittas, securim, jaculum: hæc simulatque fecissent, sese
 diris devoentes, poculum evacuare, non modo ij qui fœ-
 dus faciebant, sed etiam comites illi, quierant maximæ
 dignitatis. Alij populi ut Arabes, Bartœi, alium morem
 adhibuere teste Polydoro Vergilio *de invent. rer. lib. 2.*
cap. 15.

II.

Significatio quoque nominis diversa est, cum voca-
 bulum sit *πολύσημον*. Primò enim pacem denotat, quæ fe-
 ritur inter dimicantes: & hanc esse propriam & genuinam
 hujus vocabuli significationem existimant nonnulli Lexi-
 cographi. Secundo pro necessitudinis alicujus vinculo
 etiam accipitur: unde fœdera amicitia dicimus pro neces-
 situdine illa quæ est inter amicos. Ovidius *lib. 3. Trist. Eleg. 6.*

Fœdus amicitia non vis charissime nostra,

Nec si fortè velis, dissimulare potes.

Tertiò Fœdera lecti pro conjugali copula ut Ovid. *11. Me-
 ta morph. testatur.*

Illibata thori da tantum fœdera prisci

Quartò quandoque etiam pro lege sumitur ut apud Ver-
 gilium *lib. 1. Æneid.*

Regemque dedit qui fœdere certo

Et premere, & laxas sciret dare jussus habenas.

Quintò pro contractu publico publicæ amicitia, mutui
 auxilij, commerciorum, aliorumque quorum inter Re-
 spubl. possit usus esse gratia, à diversis civitatibus inito.
 Et hæc posterior significatio est hujus loci, III.

III.

Est autem tale foedus, conventio publica à personis summa potestate præditis inita, communis commodi ergo, ut sanctè servetur, & si minus stetur dictis non solum contrahentes, verum etiam ipsi populi, quorum autoritate foedus est initum, aut qui pars quasi sunt contrahentium, iræ divinæ obligentur.

IV.

Foedus autem dicitur *conventio publica*: ut hâc notâ differat non tantum à contractibus privatorum, sed & à contractibus Regum circa negotia privata, conventiones hæ enim nisi jure imperij majoris aut minoris fieri nequeunt. *Hugo Grot. d. j. B. & Pac. lib. 2. cap. 15. §. 1.* Refertur enim jus ineundi foedera ad jura majestatis. *Aristot. 4. Pol. 14.* & hâc qui præditi sunt, de ijs non dubitatur, quinritè foedera jungere possint. *Clarissimus Dn. Besold. lib. 1. cap. 4. num. 28. & lib. 2. pol. cap. 6. num. 8. Daniel Otton in dissert. d. jur. publ. c. 11.* Neque verò ab hoc abit illud, quod & urbes liberæ Imperij Germanici quæ appellantur foederum pangendorum jus aliquod habeant. Participant nimirum & illæ quodammodo summam potestatem, atque hæcenus foedera possunt inire. Quoniam vero totius imperij reipublicæ & Cæsari sunt ex parte obnoxiiæ, hinc coguntur in foederum legibus semper excipere nihil factum iri quod Imperij conventionibus adversetur.

V.

Additur porrò *ut sanctè servetur*. Enim verò antequam contrahatur foedus summa opus est prudentiâ, ut ingenia eorum quibus cum icimus foedera nobis sint explorata, ne circum veniamur: cum familiaris multorum contrahentium ars esse soleat, allicere animos specie amicitiaë,

ac postmodum fallere. *Barclajus Arg. lib. 1. p. m. 60.* Passim
sanè Tacitus hæc artes fraudulentas narrat. Et disertè
Annal. 2. cap. 3. Artavasdem Armeniæ Regem specie ami-
citiæ inlectum, dein catenis oneratum, & ab Antonio in-
terfectum refert. Ut autem prudenter foedera sunt ineun-
da, ita semel contracta inviolabiliter sunt servanda. *Vid.*
Instit. Vir. publ. privat. aulic. part. 7. Conclus. 2.

VI.

In foederibus autem publicè contractis ut plurimum
hoc evenire solet, quod aliàs in genere in quam multis
hominum contractibus videmus evenire, imò verò in om-
nibus etiam privatorum conventionibus contingeret,
nisi autoritate & vi imperantium in officio privati conti-
nerentur, nimirum quod foedera rarò maturescant, sed in
ipsa veluti herba deficient. Reges sanè (sicut quidem in-
quit Polybius lib. 2. est autem commune omnibus penè
summis potestatibus) natura neminem vel amicum vel
hostem ducere solent, sed ex suis semper utilitatibus ami-
citiæ æstimant. Nec privatorum more amicitiae ex affe-
ctu vel morum concordia eliguntur, sed pro ratione com-
modi regnorum suorum, nunc indignos & exosos per ar-
ctissima foedera sibi conjungunt, nunc omnium nexuum
jura omnisque sanguinis charitatem, inhumanâ necessi-
tate coacti negligunt. Charissimus quippe illis esse solet,
qui utilitate præcipuâ potentiam illorum alit, & affinita-
tes pulcherrimæ censentur, quæcunque regnum stabili-
unt. Imò Regibus sæpe filias aut sorores, scio, spargi in
eos quos fallere amicitiae specie volunt, vel ad tempus
placare, nihilque deinde sui sanguinis pignoribus, nihil
nominum quæ mutuo inierunt reverentiâ motos, pacem
& bella ex temporum & fortunæ æstimare ingenio. Sicuti
loquitur Johannes Barclajus lib. 3. Argenid.

VII.

Parum verò interesse censeo, an juratò an verò nudâ stipulatione fœdera contracta sint; cum tantum valere debeat ad fidem Principum omniumque summarum potestatum verbum, quantum privatorum jusjurandum, quod etiam pronunciaſſe dicitur Alphonsus Neapolitanorum Rex. Amavit verò idem & fortissimus Cœsarum Germanicorum Fridericus Barbarossa apud Guntherum Ligurini lib. 3. ubi ita loquitur,

Ius & reverentiâ verbo

Regis inesse solet quovis juramine major.

Sancta & plena suo sint regia pondere verba:

Non decet in labiis versari lubrica Regis,

Non decet ore sacro mendacia cudere Regem.

Dicta semel nullum patiuntur jure recursum.

Ergo quid instigas jurando jura pacisci?

Pone metum cura, vel non juratus habebo.

Hinc & laudatissimus Rex Conradus tertius symboli loco habuit: *Non decere verbum Regium immutari*: quod refert Lehemannus lib. 5. cap. 50. Sunt autem pacta conventa rigidè adeò à summis quoque potestatibus servanda, quia & illis opus est fide mutua, non minus atque universo humano generi. Nec vero si fidem fallere fuerint ab alijs tuto illis creditur, nec ipsæ alijs audent credere. Quo nihil in vita potest magis esse noxium; præsertim si potestates illæ indigeant aliorum amicitia vel auxilijs; quod fit plerumque. Accedit quod violatione fœderum ipsa Principum autoritas violetur. Quamvis enim scilicet deforme sit in homine privato rescindere pacta nec stare promissis, multo magis veriùs est in Principe & quidem quantò hic ille præstet: Quippe

Omne

*Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto major qui peccat habetur*
Atqui verò ad salutem imperantium summè necessaria est
autoritas, & saltem in opinione esse virtutis apud omnes,
etsi exactæ virtutis habitui non nihil desit.

II X.

Fœdera sanè jurejurando confirmata quam sanctissi-
mè servari debent, idque etiam ob divinam perjurij vindi-
ctam. Licet enim ad tempus perjuria interdum celentur,
nec Deus illicò ex meritò sæviat in ejusmodi impiè perju-
ros, sed diu interdum se lædi patiatur, nunquam tamen inul-
tum id auferri solet, quinimo vindictæ tarditates gravitate
pœnæ tandem compensantur.

*Sera licet sint tela Iovi, nec protinus omne
Ad scelus armato turbet sua sydera nymbo:
At vigili stat mente memor, pœnasq; merentum
Annumerat Neme si justa Themis ardua cura.*

IX.

Coeterum id quod diximus, non contrahentes duntaxat
sed etiam populos illos qui actu non contraxerunt
violatione fœderum ad pœnam obligari, videtur legibus
tam divinis, quam humanis contrariare. Notum enim ex
sacro codice, quod anima delinquens morietur Deut. 24. v.
16. Sed & jure civili Romano certissimum est, ex alterius
contractu neminem obligari. *l. pen. C. ne ux. pro marit.* Pacta q;
inter alios acta ijs debere prodesse & nocere, cum quibus
inita sunt *l. si unus 27. §. pacta 4. v. ante omnia ff. d. pactis.* Ei
sane cui factum est pactum quæritur actio, cum alteri sti-
pulari vel paci ci nemo possint. *§. alteri inst. d. inutil. stipulat.*
Et peccata suos teneant autores *argum. l. 22. C. de pœn. l.
26. ff. eod. tit.* Unde & Guntherus in Lugurino recte ait:

Insom-

Infantes culpa nocentum

Non trahat, ex propriis justo sub iudice factis

Premia seu pœnas meritorum quisque reportet.

At verò animadvertendum est, personarum alias quidem quasi simplicia, alias quasi composita esse corpora. Hoc dicimus quæ homines alios comprehendunt, suntque ijs velut caput membris, aut anima corpori. Actiones porrò humanæ aliæ peraguntur tanquam à privatis, aliæ vero tanquàm à publicis personis; idque sive expresso, sive tacito consensu publica autoritas illis concessa fuerit. Sunt autem summæ potestates in foederibus pangendis non privatæ; sed publicæ personæ; inque ijs negotijs agunt etiam populorum suorum civiumque causam, perinde ut capita membrorum, aut simpliciter animæ corporum. Eoque summæ potestates non tantum tanquam privati homines per foedera obligantur, sed tanquàm publicæ: Atque adeò & peccata quæ circa fidem ab ijs committuntur, non injuriâ ad pœnam quoque cives populosque subditos obstringunt. Et vero capiti tanquàm principali membra subalternantur. *l. cum in diversis ff. d. relig. & sumpt. funer. faciend. & membra sequuntur caput. Panorm. cap. cum non liceat. 10. d. præscript.* Et regulariter idem juris statuitur de membris quod de capite. *Borcholt in comment, ad consuet. feud. cap. 6. num. 35.*

X.

Fœdera omnia non sunt ejusdem indolis. Et quidem apud Romanos vulgo olim numerabantur tria eorum genera. Unum cum bello victis dabantur leges à victore, ipsiusque jus & arbitrium erat, ex ijs quæ dedita fuissent habere quæ vellet & mulctare. Alterum cum bello pares æquo foedere in pacem & amicitiam veniebant: tunc enim fas erat repeti res, reddique ac componi eas,

B

per

per quas possessio turbata foret. Tertium eum qui hostes nunquam fuerant ad amicitiam sociali foedere inter se jungendam coibant: tum verò ij neque dare neque accipere leges debebant, id quod aut victoris aut victi esse constat. Verum cum hac divisio magis ex temporum illorum usu, quàm ad rigidas artis leges facta sit, iudice etiam Hugone Grotio, & fortassis rectius fuerit, si nos conventiones hasce publicas, in æquales seu plenas, & inæquales distinguamus. Æquales autem sunt quæ utrinque eodem modo se habent. Quo illud pertinet Æneæ apud Virgilium:

Nec mihi regna peto, paribus sed legibus ambas

In victas gentes aeterna in fœdera mittam.

Tale quid fit quando aliquod regnum aut aliquis liber populus cum alio regno, aut alio populo in unam rempublicam pari jure & conditione coalescit. Tale foedus præstat maris & foeminæ conjunctio sive matrimonium: quando quidem illud naturæ legibus conformiter initur. Speciem quodammodo ejus habet confœderatio aliorum populorum, quando unus alteri sese subjicit, aut quasi dat in servitutem. Cujusmodi quid fuit pactum inter Israelitas & Gibeonitas, apud Ios. cap. 9. Inæqualis seu non plena confœderatio est, qua diversæ provinciæ vel regna, salvo singulis suo Majestatis jure, quoad auxilia mutua contra hostes ferenda, vel quoad fidem præstandam, vel ad pacem inter se & amicitiam colendam, vel quoad communes amicos & hostes communi sumptu habendos, ultro citroque icto foedere, seu pacto initio, ad tempus certum vel incertum se obligant.

XI.

Fœdera autem & pacta hæc, quibus tales confœderati devinciuntur inter se & junguntur, constant certis le-

tis legibus, pactis & conditionibus, secundum quas ex-
plicantur & vim suam fortiuntur. *arg. l. 7. juris gentium §.*
idcirco ff. d. pact. Etque stipulata manu, scripturis, sigillis,
& quandoque juramentis confœderatorum confirman-
tur. Ex illis verò pactorum tabulis, facta accurata inter-
pretatione, controversiæ omnes fœderum sunt definien-
dæ: non verò temerè præsumendum est de fœderum le-
gibus ex aliorum constitutis. Quoniam enim omnes e-
jusmodi conventiones sunt meræ facultatis, atque adeò
ex liberrimo arbitratu contrahentium proveniunt, arbi-
tria autem hominum possunt esse, & reapse sunt, infinitis
modis diversa; liquet utique singulorum fœderum con-
ditiones non nisi ex singulorum pactis conventis æstiman-
das esse. Quà in re graviter & illi peccant, qui leges om-
nium Regum volunt esse easdem: ut & qui omnibus Regi-
bus attribuunt jus illud quod Samuel Regibus Israeliticis
competitum iri prædixerat, aut quod Cœsaribus tribuit
Sanctus Apostolus Paulus.

XII.

Quoniam porrò in omnibus fœderibus summa opus
est prudentiâ, cum nostro præ primis seculo. (proh dolor!)
noxæ integritas, contumeliæ pudor, ludibrio fides, litig o
omnis contractus commutatur; hoc quoque cavendum
sedulo, ne facile fœdera cum quibusvis populis ineantur
perpetua, utpote cum hoc quidem valde sit perniciosum,
ceurecte cenlet Bodinus *lib 5. cap. 6 d. Republ.* Multa siqui-
dem intervenire possunt, quæ animam mutare meritò
queant contrahentium. Tum vero multi hodie sunt,
qui cum Julio II. Pontifice, ex suâ libidine & proprijs
commodis omnia contra æquitatem moderantes & dime-
tientes, omnia rata irrita habent, nec aliam ob causam se
fœdera nisi falsâ indignitatem inijsse ultrò jactant: certæ utili-

tatis gratia fraudes ac perfidiam admittunt, prudentiæ loco ponentes pro moribus temporum alios decipere. Quales utique fuere Wenceslaus Meroschuya ac Octavianus Fregosus. Illum sane Hippolitus à Lapide d. rat. stat. part. 1. Sect. 4. dicere solitum memorat: *Totus mundus fucos utitur; cum vulpibus vulpinandum est: pueri nucibus, viri juramentis fallendi sunt. Nec infame est violasse jurisjurandi religionem: Fecerunt hoc nostri Principes: Nos cariores habebunt, si non modo pro eis patiamur & belligeremus sed etiam peieremus. Dum crepundia vendunt institores, simulant, mentiuntur pro asse peierant. Et nos id non faciemus pro regnis & arcibus? Faciemus & quidem libenter.* Hujus mentionem Lehemannus in Chron. Spirens. lib. 5. cap. 60. injicit: Objurgatum aliquando à Leone Pontifice Maximo, cum quo ipsi foedus erat, quod contra datam fidem Regi Galliae suppetias tulisset, hujus argumenti literas ipsi ad eluendum crimen transmisisse: *Grave quidem mihi futurum, me hominibus rationis statûs rudibus purgare, quod promissis non steterim: Ast quoniam mihi cum prudenti ac præpotenti homine, Papa Romano, res est, quemque non latet, Principi vitio ac injustitia non dandum, si qua dilatarandi regni, aut evidentissima utilitatis gratia pacta non seruet; nullus dubito, quin me facile excusatum sis habiturus.* Hujusmodi autem homines fraudulentum cum primo aspectu nosci nequeant, sed sæpenumero videantur quantivis precij, dum, ut loquitur Comicus: *Creta ac vestitu occultant sese ac sedent quasi sint frugi:* etiam hanc de causâ specialem annorum declarationem in foederibus plerisque ineundis, ad præscindendas fallacias, ac ut illis detectis ac cognitis resilere possis, exigit prudentia.

XIII.

Quanquam non dissimulaverimus, cum foedera sint contractus bonæ fidei alterutrius portis, doli mali patuerint.

rint, jure meritissimo quamvis perpetua fœdera illicò red-
di irrita. Quod usque adeo est verum, ut si quæ pars con-
trahens sentiat sese circumventam, aut ex fœdere supra
modum læsam, possit illa meritò à fœdere resilire & se-
metipsam quasi in integrum restituere. Restitutio sanè
in integrum ex naturali jure competit quoque ipsis sum-
mis potestatibus, non verò solis privatis civibus ex jure
prætorio Romano; ceu Amplissimus Dn. Præles demon-
strat, c. 19. de finibus imper. Germ. p. 370.

XIII.

Non possumus hoc loco silentio præterire nobilem
quæstionem, num scilicet conducat Reipubl. fœdere
inuito externis auxilijs & armis res suas munire. Et verò
nonnulli prudentum id omninò improbant. Quò per-
tinet etiam ille Apologus quem Horatius l. 1. epist. 10. sic
decantat.

Cervus equum pugna melior communibus herbis

Pellebat, donec minor in certamine longo

Imploravit opes hominis, frenumq; recepit.

Sed postquam victor violens decessit ab hoste

Non equitem dorso non frenum depulitore.

Etiam ipsum Machia vellum improbasse simpliciter mili-
tiam auxiliariam liquet ex Principis cap. 13. Ex adverso ta-
men usus quotidianus à plurimis usque seculis docuit,
magno commodo arma auxiliaria cedere. Igitur non
profectò simpliciter illa repudianda sunt. Nec simplici-
ter tamen etiam semper ijs utendum esse dixerim. Prudens
itaque distinctio in illorum usu est adhibeuda. Quam
tamen non meis Sed Amplissimi potius Præsidis verbis
nunc proponam repetitis ex manuscriptis Animadversio-
nibus ad 13. illud Machiavelli cap. & quidem illa Machia-
velli dicta, quibus citra discrimen auxiliarem militiam da-
mnat.

111. 31. Hec in uniuersum (inquit Dn. Praeses) de militibus auxi-
liaribus dicta uero consentanea non sunt. Ipsi utique Romani
Sociorum armis ferè nunq̃ non pugnauerunt. & quidem quam sum-
mo cum fructu. Similia exempla plurima ex omni ueteri aeo pos-
sent adduci si sit opus; sed ne opus sit efficit perpetuus nostri etiam
temporis usus. Sic igitur res sese habet. De auxiliari militiâ
duo semper iure metuenda ueniunt. Alterum horum est, ne
illa incommodo loco & tempore te deserat; Alterum ne temet-
ipsum opprimat. Nec uero id quod hoc loco Machiavellus mo-
net, quod scilicet fracta illâ auxiliari militiâ etiam tua Respubli-
ca corruat, semper locum habet, sed tum demum quando tota uis
Reipublicae est in auxilium collocata. Non proprium etiam hoc est
auxiliaris militiæ, sed in uniuersum commune est: militiâ omni
illâ scilicet fracta nunquam non Respublica cedit potestati uictoris.
Cæterum illorum duorum, quæ nos metuenda diximus, infinita
sunt exempla. Solet autem prius tum maximè contingere,
quando major aliqua utilitas ex desertione possit à socio sperari
quam ex fideli auxilio. Sunt nimirum fœdera pleraq̃, nihil ali-
ud, quam utiles quaedam amicitiae; Et rarissimum est, ut utilitatis
ratione mutata robur fœderis maneat firmum. Posterius eve-
nit potissimum, quando omnis, uel potissima Respublica uis in au-
xiliis posita, propria autem militiâ est uel nulla uel per exigua
ac proinde contempta. Vnde manifestum est perniciosum esse,
uel certe admodum periculosum, si propriis uiribus non satis in-
structus potentibus exterorum auxiliis salutem Respublica con-
credas. Igitur ita utendum auxilio, ut maneant auxilia, hoc
est, ut uires exercitus potissima tibi sint propria. Exteri uero
non nisi membrum epis faciant. Sive ut cum Livio lib.
25 cap 33. loquamur: id cavendum semper ducibus, exempla-
que pro documentis habenda, ne ita exteris credant auxiliis: ut
non plus sui roboris suarumq̃ propriè uirium in castris habeant.
Hæc planè unica ratione Romani, alique in rem suam se-
cuntur.

curè ac feliciter sociorum armis usi sunt. Porro de fide auxili-
liorum non major aut certior expectatio facienda est, quam
facere certo illam jubeat utilitas sociorum. quoniam etsi inter-
dum ulterius sese etiam extendat, cum rarissimè tamen hoc fi-
at, ex eo quod plerumque sit prudentis est consilium capere. Po-
stremo quo magis minusve in arbitrio auxiliantium posita sunt
auxilia, eo magis minusve licet illis credere. Hinc sanè sit ut
auxilia omnium certissima illa sint, quæ socij minus potentes co-
guntur præstare potentioribus: utpote quæ negari nequeant, sine
summo periculo à potentiore expectando. Qualia olim erant
auxilia quæ socii Romano populo præstari ex fœdere tenebantur:
debiliores scilicet perquam potentibus.

XV.

Vt porro non nihil etiam adjungamus illud quibus-
cum fas sit fœdera inire, illud duntaxat videbimus: Li-
citene cum infidelibus sive ijs qui à verâ religione alieni
sunt fœdera ineantur. Atque in jure naturæ quidem id
dubitationem non habet, nam id jus ita omnibus homini-
bus commune est, ut religionis discrimen non admittat,
à naturâque suggeri videtur, ut quocumque modo vitam
tueamur. Sed de jure divino quæritur, ex quo hanc
quæstionem prolixè tractant non Theologi tantum, sed
& Jurorum nonnulli. Cœterum jure divino veteri qui-
dem, fœdus cum diversis à religione hominibus contra-
here ante Mosis legem licuit. Hoc enim utique exemplo
suo nos docet Jacob cum Labane fœdus iniens *Gen. 31.* Nec
id Lex per Mosen mutavit: Eoque populus Israëliticus
cum omnibus vicinis populis, solis exceptis septem cana-
niticis, jussus est amicitiam colere, & regnum etiam san-
ctissimi quique cum vicinis populis fœdera super com-
mercijs, super pace & bello, Imo super auxiliaribus ar-

mis-

mis, nisi singulatim à Deo vetaretur, inierunt: ceu ex codice Veteris Testamenti luculentissime notum est. Nihil etiam reperitur quod obstat in lege Evangelicâ. Imo vero hæc maximè favet eiusmodi fœderibus, quibus hi etiam qui à religione alieni sunt in causa justa sublevantur: quia beneficentiam in quosvis homines data occasione, non liberam modo reliquit & laudabilem, sed & sub præcepto posuit. Nam Dei exemplo, qui solem oriri facit bonis & malis, & pluvia utrosque humectat, jubemur nullum genus hominum à beneficijs excludere, salva duntaxat aliqua gradus differentia. Quin hoc exemplo ipsius Salvatoris probatur, à Samaritide fœminâ aquam accipientis, cum tamen exemplo suo voluerit præire ad bonos mores. Nobis certè Germanici Imperij civibus jubet necessitas eiusmodi fœdera & inire, & inita sanctissime servare. Qui enim aliàs stare possit pax religionis publica constitutione inter Pontificios & Augustanæ confessioni addictos facta? Palladium certe illa est hodie Imperij idq; non duntaxat concordie civilis, sed etiam avertendi externi hostis causa. Qua enim mente, quibus viribus, quo consensu contra Mahometem conjunctim pugnabimus absque illo fœdere? Huc respiciunt verba Seldij Cancellarij Imper. ad Ferdinandum I. scripta: Ob schon E. Mayest. mit allen andern Ständen / so die Päbstliche heiligkeit für Käiser helt / sondere Bündnuß hette / und ohne daß die vergleichnuß des gemeinen friedens / mit allen Ständen des Reichs: dieweil E. Mayest. nicht gemeinet / jemandt dadurch in seinem Irthumb zu stärken vnd zu erhalten / sondern was deshalbent auffgericht / das ist allein auff die erhaltung des gemeinen friedens / vnd dann den widerstand gegen den grausamen Erbfeind Christliches nahmens vnd glaubens / den Türcken angesehen / so sag ich gut runt / das solche Bündt:

Bündnis nicht gar vndienlich / sondern zulässig / löblich vnd ehrlich wehre. Sed hac de re meretur legi Rumelinus *ad A. B. dissert. 4. cap. 15. additam. 35.* Hæc usque adeo sunt clara ut non difficile sit & quæ contra adferuntur convellere. Et verò fatemur, si quos Reges aut populos, extra eos qui in Lege expressi erant, exosos sibi & damnatos per prophetas Deus significarat, eorum tutelam suscipere aut cum iis arma sociare nefas fuisse. Huc sane illud pertinet prophetæ ad Josaphatum de Rege Israël; *Te ne improbo opitulari & eos diligere qui Deum oderunt? & ob hoc ipsum in te exarsit ira Dei.* Minime vero hinc consequens est, omnium infidelium populorum & Regum parem fuisse apud Deum condemnationem. Sed & in hoc fortassis quam maxime peccavit Josaphatus, quod divino auxilio, quod ipsi tamen abunde suppetebat, diffusus fuerit, atque ex illâ diffidentia ad auxilia infidelium se converterit. Ac proinde foedus illud improbatum fuit, non tam propter adversæ contrahentis partis *amisiæ* quam propter qualitatem illam pravam, quæ Josaphatum ad foedus incundum permoverat. Sicuti nimirum improbum non est medicos consulere, improbum tamen fiduciam suam in iis ponere non in Deo; ita quoque federatis fidere quasi Deo, malum est. Ut multa non illicita vitiat animus, non res ipsa.

XV.

Solet & hoc disceptari, an Principi Christiano pro sui suorumve defensione, cum Principe infideli, veluti ipso Turcâ, contra Principem & quidem Christianum foedus inire liceat, vel si ab aliquo Principe Christiano prematur, auxilium petere? Ægerrimè sanè tulit Carolus V. Imperator, cum intellexisset Franciscum primum Gallia Regem cum Turciæ Imperatore foedus contraxisse, proindeque illum non minus quam Turcam ipsum pro communi Christianorum hoste habendum constituit *in Resess. Spirens. d. Anno 1544. §. vnd*

C

demnach

demnach verfic. vnd diereil & §. So achen wir. Contrahe-
do sane amicitiam cum inimicis, præsumitur & ipse inimicus
fractus l. liberi 28. in illis verbis: vel inimicis suis suas amici-
tias copulavit. *C. de inoffic. testam.* Paria etiam videntur ef-
se inimicum & amicum inimici, propterea quod similis
quis præsumitur illis, cum quibus illi est amicitia consuetu-
do & familiaritas. Nec dubium quin illi suæ potius utilitati,
& saluti inserviant quam alienæ; ac premente hostium me-
tu, aut victoriæ laudem prædamque sibi tribuant, aut fugæ
latebras quærant. Sunt porro ejusmodi fœdera quoque ad-
modum periculosa, cum occasionem mutandæ religionis
præbeant, raroque apud infideles fides inveniatur. Cœterum
de defensivo fœdere cum illis ob mutua auxilia aut de pace
colenda, de finibus tuendis, contracto, pro affirmativa citra
controversiam responderi potest. Non tamen & offensivum
contra Principem Christianum videtur omni ex parte ini-
quum: si nimirum Principi Christiano illa vis inferatur, ut
nisi externis istis accitis auxilijs infidelium, adversus vim in-
justâ tueri sese nequeat. Non sane Christiani Cæsares ab ejus-
modi fœderibus abstinerunt, quotiescunque necessitas vi-
sa est flagitare: ut ex historijs quam multis liquidum est. Nec
proinde & Fridericus II Imperator noster dubitavit Sarra-
cenorum armis adversus vim Paparum sese defendere: fru-
stra illis ringentibus.

XVI.

In controversiam præterea vocatur & illud: Num cum
potentioribus fœdus contrahendum? Est autem distinctè re-
spondendum, ratione habitâ diversorum fœderum, & eo-
rum potentum quibuscum contrahendum. Nec enim de
fœdere amicitiae & commerciorum videtur posse multum

dubita-

dubitari. De foedere autem auxiliari bellico quid statuen-
dum sit, jam tum liquet ex illis quæ supra disputavimus. Ta-
lia certe non vacare periculo ultro fatemur. Nec tamen
semper inutilia sunt, præsertim si potentior idèò auxilium fe-
rat, na ego impotentior ab alio potentiore opprimar. In
universum tamen (quantum fieri id licet) ita exteris creden-
dum, ut plus nostri roboris domi habeamus. Neque temere
tradaatur claustra imperij foederatis, ne acrius beneficijs
quàm armis vincamur.

XVII.

Qui ob domesticum luxum sunt imbecilles, & ad pu-
gnam & res magnas gerendas inepti, ac potentia minores,
eos non sine periculo foedere in auxilium nobis jungere pos-
sumus. Siquidem sane etiam ipsimet nos non multum si-
mus validi. Quod si enim per nos ipsos jam sumus tuti, nihil
verat illos adsciscere, saltem in ostentationem aliquam apud
rude vulgus, vel vero ut etiam illorum quamvis exiguæ vires
cedant tanquam in superpondium. At si aliter se res no-
stræ habeant, audiendus erit Lipsius qui lib. 4. pol. c. 9. in-
quit: *infirmis aut miseris quid te jungas? quarunt cum quâ gente
cadant; Tu si lapis fatis accede Deisq; & cole felices, tuamque for-
tunam prius in consiliis habeto antequam de aliena deliberes. In
caducum parietem ne inclina, nisi tamen quispiam talis, cujus ra-
tione te quoque tractura sit, tunc enim te junge, aut juva sed occul-
tè. Melius sane est in alieno restringere, quàm in tuo expe-
riri incendium. Et imitandi sunt legati Campanorum, Se-
natum Romanum in hunc modum teste Livio alloquentes:
*Pugnabamus verbo pro Sidicinis, re pro nobis, cum videremus fini-
simum populum nefario latrocinio Samnitium peti, & ubi conflag-
rassent Sidicini ad nos trajectum iri.* Hippolithus à Lapide de
Rat. Stat. part. 3. cap. 2. Sect. 3. Eberhardus à Weih. in me-
ditam. de foed. lib. 1. p. m. 188. Nec tamen & miseris dene-*

ganda auxilia, si id ferant res tuæ: aut si periculum sit ne illis oppressis hostis tuus potentia te multū exsuperet. Quinimò etiam interdum fœdus commode cum ipsis iniri potest, si quando Principes eorum summæ sunt prudentiæ. Idque quoniam prudentia in confœderatis plus quam opes ac potentia æstimanda plerumque est. Regulariter tamen validiora sunt fœdera quæ incuntur cum paribus; sicut amicitia durabiliores esse solent, quæ inter pares intercedunt.

XIIX.

Cum ijs præterea qui procul distiti ac tarde opem ferrè possunt, quibusque certi successores non sunt, caute incunda sunt fœdera; Quia juxta Erasmum in adagijs: *Amici non sunt amici qui habitant procul.* Et verò licet amicitiam haud dirimat se junctio locorum, officia tamen interrumpit: ut Aristoteli etiam est observatum 8. Ethic. Ex distantibus terrarum spacijs consilia post res adferuntur: Tacitus *hist. 3. cap. 9.* Videndum igitur ut fœdus cum ijs præcipuè ineamus, quorum auxilia in promptu nobis esse possunt; ne scilicet dum in longinquis locis parantur auxilia, interim provincia nostra domi pereat.

XIX.

Nonnullis porrò Politicorum firmiter persuasum est, inter quos præprimis Waremundus ab Erenberg *tract. d. fœd. lib. 1. cap. 2.* idemque, sed nomine haud ficto, Eberhardus à Weihe *in medit. am, de fœder. lib. 1. p. m. 229.* Speidelius in *Notab. Jurid. Hist. Polit.* ut & Machiavellus in *Principe cap. 21.* neutralitatem principi omnino fugiendam, illumque non posse non alteri belligerantium vicinorum parti se jungere; quod mediam in hujusmodi rebus viã monstrans nullam monstret, in quam pedem figere liceat. Ita quippe illi disputant. Qui vult quiescere & abstinere armis, eventum exspectans, qui stultorum magister censetur, cum consilijs & con-

& consiliarijs peribit. Periculum quippe quod declinare vō-
lunt neutrales plerumq; incurrunt. Se enim tutos existiman-
tes, & utrarumque partium duces evitantes, ut plurimum
sine gratia & dignitate certissima tandem præda victoribus
fiunt. Sicuti enim mediam partem domus inhabitantes ab
infimis fumo, à superioribus urina molestantur; ita etiam bel-
lo durante; diuturnitate ejus veluti granū inter duos lapides
molares atteruntur, aut certe ab altero victoriam obtinen-
te omni benevolentia exuti tandem opprimuntur. Neutra-
litas enim neque amicos parit, neque inimicos tollit. Dum
vero utraque pars auxilium Neutralistæ frustra expectat, &
vane successus spe lætatur uterque, tandem belligerantes
illi quasi conjunctis viribus Neutralistam opprimunt, partim
quod non tulerit opem alterutri, partim invidia, quod ha-
ctenus fuerit incolumis.

XXI.

Quamvis vero his aliisque rationibus etiam ipse versu-
tissimus Machiavellus fuerit motus (utiliquet vel ex iis quæ
differit cap. 21. sui Principis) non possumus tamen non po-
tius accedere iis, quæ Amplissimus Dominus Præses de nobi-
lissima hac controversia in suis ad Machiavellum Animad-
versionibus disputavit. Quæ proinde hoc loco in medium
adferre operæ fuerit præcium, quantumvis non nihil prolixi-
ora videri queant. Sunt autem verba disputationis illius
hæc. *Vtrum expediat inter partes belligerantes semper medium
se se gerere, & neutri accedere, an non; aut si non semper, quan-
do nam expediat, & quando non, docere non pertinet ad tracta-
tionem de Principe. Est enim hoc commune omnibus rebus publicis,
adeoque pars est generalioris doctrinæ politice, illius quæ de bello
& pace, & quæ de fœderibus agit. Non temerè autem persuaserit
Machiavellus, interesse existimationis, ut semper alterutri pu-*

ignarium pari Princeps auxilium ferat. Utique hoc ne quidem Romanis fuit persuasum, qui tamen bellica gloria captanda pra aliis populis studuerunt. Ad hoc non videtur id semper expedire, sed interdum magis utile esse neutri parti accedere. Quod autem noxium est publicè, id profectò non est idoneum parere Principi existimationem. Nec verò ea quae hic à Machiavello afferuntur argumenta id evincunt. Primum enim tantum id tangit, quid agendum si duo potentes vicini inter se armis confligant. At vero conflare etiam possunt, qui non sunt potentes, & quidem vel ut tua nihil referat, quae pars vincat, vel ut certa sit expectatio, fore ut mutuo sese atterant. Tunc verò videtur potius consultum neutri parti accedere, & spectare illa praelia cunctando, sine periculo; praesertim si attriti utrinque pugnantes, praedafiant potentia tua. Nec tamen dissimulabo Romanos aliosque etiam impotentioribus inter sese cariantibus, in alterutrius partis societatem concedentes sensim potitos esse pene universi orbis. Secundò potentes etiam inter se conflare ita possunt, ut quoniam paribus viribus concurrunt, neutrius partis victoria queat promitti, sed potius quasi certum sit mutuis illos sese viribus attrituros; cuius terrij casus belligerantium à Machiavello perperam hic praeterita est memoria. Sed & videtur tum consultius neutram partem juvare, nulla certè est necessitas opem alterutri ferre: si verò quiescas, neutrius partis inimicitia subeunda venit, quam vitare non potes alterutram si juveris. Sine certi autem commodi spe vicinum aliquem potentem inimicum reddere, hoc vero est in discrimen rempublicam conijcere. Quod si porrò tuis auxiliis altera pars vincat, eo ipso augebis potentiam vicini; quod non vacat periculo, cum intersit potius vicinos habere non potentes, aut verò multos pari potentia, ut mutua emulatione illorum tu sis securus. Et si enim victor ille potens, id quod causatur Machiavellus, tibi fortè initio acturus sit gratias pro latis auxilijs, illius tamen beneficij memoria rarò diuturna esse solet, longius

longius superstiti illi tuis auxiliis aucta vicini potentia, atque
adeo & periculo quod ab eminenti aliqua vicini potentia solet im-
minere. Tertio ne id quidem semper verum, quod circa pri-
mum casum quasi perpetuum & certum habet Machiavellus:
nempe quotiescunque potens aliquis fuerit victor, tum etiam te
semper prædam victoris futuram. Tunc scilicet demum id certo
metuendum venit, quando potentes illi unice sunt intenti, quo-
vis juris prætextu amplum sibi imperium vix parare. Quo sanè ani-
mo fuere quondam & Romani pariter & Antiochus Syria Rex,
atque adeo ab utroque victore Achæis, si medijs esse velint, ma-
lum istud fuit expectandum: quam historiam hic tangit Machia-
vellus. At verò non omnium potentium victorum hic animus
est. Quamvis etiam ab omnibus victoribus potentibus aliquid
metuendum sit, satius tamen est habere illos minus fidos amicos,
quàm professos hostes: utpote cum illorum, et si non firma benevo-
lentiæ parari, inimicitia tamen aut odium communi obsequio ali-
isque modis possit evitari. Quartò interdum adeo ambigua est
amicitia utriusque partis belligerantis, ut non possis non herere,
quanam earum tuis auxiliis juvanda sit. Saltem igitur tum præ-
stabit medium sese inter partes illas gerere. Quintò deniq; utra-
que pars nonnunquam potens quidem est, altera tamen in tan-
tum prævalet, ut penè certo plenam victoriam huic queas pollice-
ri. Iam verò non esse juvandum illum jam tum prævalentem faci-
le apparet; cum hac ratione illius potentia adhuc majus sit au-
gmentum acceptura, idque tuo summo cum discrimine. Tua por-
ro vires interdum non sunt tantæ, ut quamvis junctæ illi minus
valido prævalentem istum æquent aut superent. Tum igitur jun-
gens te parti minus valida nihil benigni potes ab auxiliis tuis ex-
spectare: contra verò ab irato illo prævalido non tibi minus quàm
auxiliaris quàm illi cui opitularis penè certum imminet exitium.
Etiam tum igitur consultius est à partibus abstinere. Certè valdè
inane est illud solatium, quod victo tibi affert Machiavellus:
semper

94
TK
5094

nampe quod etsi succumbas, in amore tamen sis futurus illius
partis quae tecum est victa; quippe cum amor ille nulli possit esse
commodo, & in eo, qui in miseriam redactus satis habet domi
quod agat, facile refrigescat. Ex quibus omnibus palam est, ne-
cessitatem quidem Republica non exigere, ut semper partibus
belligerantibus accedas, sed ex adverso tum demum, quando vel.
Certum, vel per est verisimile, alteram partem plena victoria
fruituram, ab eaque nova potentia tibi quoque ingens dam-
num imminere, tu vero ijs polleas viribus, ut tua ope ab hostis in-
juria is à quo nihil temere metuis defendi possit. Nonnumquam
tamen, etiam non exigente necessitate, utile esse ferre alteri
parti auxilium, idque praecipue tum, quando ex victoria alteru-
trius partis, etiam tu certum fructum possis sperare, haud ne-
gabimus. Hæc ille.

XXII.

Postremo violatione alterutrius partis foedus omne me-
rito dissolvitur, cum frangenti fidem fides eidem sine injuria
frangi possit, & secundum Thucydidem: Soluti foederis culpam sus-
stineant ij, non qui deserti ad alios se conferunt, sed qui quam jurati pro-
miserant fidem ac opem re non præstant. Causa autem justifica hujus
est: quoniam foedus omne non nisi ex contractu obligat, cujus
conditiones nisi serventur jure rumpitur contractus. Hoc tamen
ita demum verum est, ni aliter convenerit. Caveri enim interdum
solet, ne ob quasvis offensas à foedere discedere liceat: item ut de
controversiis obortis ante omnia constituti arbitri debeant judi-
care, cui judicatio quæ pars stare renuit foedifraga demum habe-
ri debeat. Id quod institutum pariter per est salutare
conservandis foederibus, & æquitati maxi-
me consentaneum

Μόνω τῷ θεῷ ἠδ' ὄζα

F I N I S.

Wre

cia praestent, sine
peream, ut hic
dejiciebat. S
grandem calic
qui ferirent fo
gladio aliquan
sagittas, secur
diris devovent
dus faciebant
dignitatis. A
adhibuere tes
cap. 15.

Significat
bulum sit πολύ
ritur inter dim
hujus vocabul
cographi. Se
etiam accipitu
situdine illa qu

Fœdus

Nec

Tertiò Fœdera
ta morph. test

Illibata

Quartò quand
gilium lib. 1. A

Reges

Et pren

Quintò pro c
auxilij, comm

spubl. possit u
Et hæc posterio

vis solus ego
ox lapidem
in fuso in
sanguinem
incidentes
tingebant
cissent, sese
ij qui fœ
nt maximæ
am morem
rer. lib. 2.

cum voca
at, quæ fe
genuinam
nulli Lexi
us vinculo
pro necel
rist. Eleg. 6.

id. 11. Me-

apud Ver-

as.
ciæ, mutui
inter Re
ibus inito.
III.

